πολιτικοὶ στίχοι. πολιτικοὶ λόγοι. } vid. Ind. ad Comm. περὶ ὕψους. Heumanni.

Edmundus Halleius Epistolam ad Robertum Nelson, Armigerum adiecit Tractatui de Vita et Scriptis Henrici Dodwelli ab Franc. Brokesby Anglico Idiomate edito Londini 1715. 8. Ea dictus Halleius Dodwelli librum de Cyclis breviter et dilucide rerum Chronologicarum tamen ratione tantum habita, recenset, et duos in illo errores notat. Alter est, quod Dodwellus in Tabulis de Cyclo Metonico unamquamque diem sexagesimam tertiam exemtilem faciat loco sexagesimae quartae, et sic ultimos quatuor menses anni nonagesimi omnes plenos relinquat, cum alternatim pleni et cavi esse debuerint. Alter est, quod Cyclum Calippi incepisse statuat Kalendis Iunii, Anno ante Christum 330, cum potius nocte inter 28. et 29. Iunii Cyclus ille initium habuerit. Vid. Acta Er. Lips. 1716. m. Iun. p. 258. 259.

Mart. Crusius Gramm. Gr. cum Latina congruentis P. II. p. m. 962. Rhythmicus est Historicus Ioan. Tzetzis Liber (Chiliades nempe.) Nam ibi 1.) metra non observantur. 2.) Singuli versus sunt 15. syllabarum. 3.) Dimensio fit more Iambicorum versuum, eo modo, Accentus fere ita cadunt, ut extra dimensionem. 4.) Semper Acutus aut circumflexus in Penultimam versus syllabam cadit. Sic ego τοὺς πολιτικοὺς στίχους [quo nomine hoc genus appellatur] intelligendos existimo. Hæc Crusius, qui post adductum ex Chil. Tzetzæ exemplum addit. Est hoc genus recens, quia Tzetzes anno Christi 1176. vixit.

Conf. Præfatio ad Constantini Manasse Troilum ca cum Laur. Rhodom. Argonauticis, Thebaicis, Troicis et Iliade parva à Mich. Neandro, non addit licet Rhodomanni nomine, Ed. Lips. 1588. lit. K.

De versibus Politicis.

Isaacus Vossius de Poematum cantu et viribus Rhythmi. Eo sunt redacti miseri Græci, ut nec pere nec cantare Græce sciant, amissoque pristino cultu cum ceteris barbaris ritibus musicam quoque barbaram sint amplexi. Iam à mille et pluribus annis nullum fere aliud frequentarunt genus, quam versus, quos illi Politicos vocant, ideo nempe, quod aliquam similitudinem habere videantur cum iis versibus, quos inter nomen heroicorum specie Grammatici recensent; quique quod nullos moveant affectus, finitique maxime sint popularis et pedestri similes sermoni, ideo πολιτικοὺς et λογοειδεῖς appellant, cuiusmodi est iste, ἐκ δὲ ξανδὰς ἑκατὸν κ(αὶ) πεντήκοντα. Si quis vel Homeri vel alios Poemata ad legem vulgarium accentuum exprimat, complures istiusmodi versus deprehendet; ut minime dubitandum sit, quin corrupta hexametri carminis pronunciatione versus isti Politici originem traxerint. Observandum tamen, quemadmodum hexametri non æqualem semper syllabarum continent numerum; cum aliquando tredecim aut etiam duodecim tantum, nonnunquam vero ad septendecim extendantur syllabas, ita neque Politicorum versuum eandem semper esse rationem, cum nonnunquam duodecim aut tredecim, alias quindecim, quandoque vero septendecim absolvantur syllabis. Qui duodecim aut tredecim tantum continent syllabas; iis similes sunt versus illi, quos et nostrates et Galli in suis vernaculis linguis Heroicos perperam vocant, licet maiorem Accentuum Græci habeant rationem, quam Galli, utpote qui non naturalem tantum syllabarum quantitatem, sed et ipsos quoque ut plurimum negligant Accentus. Hoc autem carminis genus raro apud Græcos occurrit; sed vero, qui 15. syllabis decurrant versus frequentissime reperiuntur: et hoc nostro genere sunt Tzetzes, Constantinus Manasses, et innumeri alii, qui hanc mensuram diligentissime observavere. Si neglecta antiqua et naturali syllabarum quantitate solum observes sonum, mox similes sunt tetrametris Archilochiis catalecticis. Quodsi 17. aut plurium forent syllabarum, iam merito ridebantur veluti πολύποδες præsertim si consonis abundarent literis, nisi forte puris syllabis terminentur vocalibus, iam uti monet Eustathius agens de versibus politicis ad Lib. Α. Iliadis, τὸ πολύπουν ἐν ταχείᾳ συνεκφωνήσει τῶν φωνηέντων, κ(αὶ) σώζεται ὁ ῥυθμὸς εὔρυθμος. Qui primo istiusmodi versus usurparunt, licet κακοζηλίᾳ laborarint, nondum tamen syllabarum neglexerunt rationem; sed vero, qui proxime elapsis VI. VII. ve floruere seculis, cum viderent se suis auribus non satisfacere propter immutatam pronunciationem, omissa antiqua et naturali syllabarum quantitate solam vernaculorum accentuum habuere rationem, satius ducentes à veterum præceptis, quam à recepta sui temporis recedere consuetudine. Hic finis. Hæc denique ultima fuit meta Poeticæ, simul licet, addo et εὐεπείας Græcæ. Hæc Vossius.

Henr. Christianus Henninius in Ἑλληνισμῷ ὀρθῳδοῦντι, p. 62. ubi de Hellenismo ex Sec. XI. et XII. Accentuum barbariem degenerante differuit, subdit. Versus πολιτικοὶ præter certum syllabarum numerum et affectatam quandam ad Accentus cadentiam, nihil habent poetici, unde et λογοειδεῖς appellantur. Exercuerunt se hoc genere versuum maxime Ioannes Tzetzes et Constantinus Manasse. — Allatis deinde ex Constantini Manassis Chronico Poetico ap. Dempsterum ad Rosin. Paralip. ad L. I. c. 1. laudatis speciminibus pergit Henninius — Hi versuum moduli videntur originem dedisse carminibus, quæ hodie in linguis vernaculis frequentantur; si namque eandem ὁμοιοτέλευτα non exprimerent. Illud versuum genus, si modo versus appellari debet, quod apud Germanos Trochaicum seu eorum voce Langkürtze, et apud Gallos heroicum. Sic et iidem Galli fere modulantur in aliis carminum generibus, v. g. —— Germani pariter simulantur v. g. —— Ex hoc vero ipso versuum genere evidentissime apparet [per(?)git nunc Henninius] prisci Græcis ignotos fuisse Accentus; cur enim hos versus ignorarunt? nullam certe aliam ob causam, quod barbariem nescierint, quæ Pronunciationem hanc his versibus pro fundamento. versa vice, cur Germani et Galli nequeunt metra Hellenismi ex arte imitari? nempe vitiosa ad metricam poesin pronunciatione eorum evertitur metrorum leges. Si ergo Hellenes florentes ad Accentus deturbarunt cultissimam linguam, quo ore metrica poemata vel condere vel canere vel pronunciare potuerunt. Certum vero est, ut finiam, carmina ista πολιτικὰ ad tempora usque captæ CP. frequentata, fuisse in culpa, ut alteri apud Viros inprimis doctissimos, quo meliora procul dubio viderunt, deteriora secuti, eandem radicem vitiosa ad Accentus Hellenismi ad nostram usque ætatem pronunciationem. Hæc Henninius in hanc rem. [Montfauconius Consuetudinem describendi accentus ... vid. Palæogr. L. ... VIII. ... confert ... rationem fere integram usque ad ... ad ... anno 900. ... cepisse Accentus frequentari ...] Putat Vossius l. cit. versus iste antiquam ... Henninius l. c. p. 60. post Iustiniani ... Comment. in arte metrica.

de ætate Accentuum vid. Montfauconii Palæogr. Gr. L. III. c. 3. p. 215. et L. III. c. 5. p. 223. seq. Primus Grammaticorum qui Accentus usurpavit, si Apollonio, Arcadio, aliisque Græcorum magistris fidendum, fuit Aristophanes Librarius et tempore Ptolemæi Philopatoris et Epiphanis i. e. circiter ante C. N. circiter 250. Is auxit et illustravit postea eandem doctrinam ipsius discipulus Aristarchus, huiusque Auditorem Dionysium Thracem dein habuit Auditorem. Eandem insistere viam hos secuti sunt in Schola Alexandrina Apollonius Dyscolus, Origenes, Agapetus, Philoponus, Sergius, Apollonius iun. Aristarchianus, Ios. Charax, Auxonianus, Herodianus Magnus, Georg. Choroboscus etc. tum in ... in Grammaticis libris de Accentibus ad ... inventa ...